



ARno eruditione & morum sanctimonia in-
gnis extitit. Itaque cum sedes Salisburgensis
suo rectore destituta esset, Arno omnium consen-
su antistes constitutus fuit. Cum autem eo tempo-
re Valdoricus Archimystes Laureacēsis & Batha-
uensis præsul uita defunctus esset, Leo Pontifex
iussu Caroli Magni Arnonem Iuuahensem Epi-
scopum eiusq; successores perpetuò posthac Ar-
chiflamines Boiariæ sanxit, & pallio donauit. Itaq;
Archiepiscopatus de Bathauia & Laureaco, ubi à
primordio Christianismi hæctenus sedem tenuer-
at, Iuuaniam (quæ & Salisburgum dicitur) anno
restitutæ salutis septingentesimo nonagesimo o-

ctauo translatus fuit, ubi etiam hodie permanet. Verùm maximum inde di-
scordiae incendium suscitatum exarsit, quod uix per Romanos Pontifices &
Imperatores, magno Boiariæ detrimento, tandem sedatum fuit. Postea sub
Arnone iussu Caroli Conciliũ Salisburgi celebratum, ob decimas & Eccle-
siasticas opes. Ibi decretum quod omnia bona in partes quatuor, iuxta maio-
rum sanctiones diuidenda sint, atque unam sortiri Episcopos, alteram sacer-
dotes, tertiam pauperes, & quartam ædiũ sacrarum cõseruationes. Tum etiam
Monachi iussi sunt Episcopis suas decimas persoluere. Episcopis com-
missum ut pauperum rationem habeant. Hoc modo Arno
sibi magnam exiftimationem uirtutis compa-
rauit. Auent, lib. 4.